

David Richter


Cum Sacro Mandato Serenissimi & Praecelsissimi Ducis atque Principis, Domini Caroli Leopoldi, Ducis Regnantis Meclenburgici ... Festum Seculare II. Augustanae Confessionis Invariatae In Terris Meclenburgicis sollemnissime celebratum esset; Hunc Religionis cultum Anno M D CCXXX. ad d. XXVII. Junii In Gymnasio Meclenburgico ... Patres Utriusque Reipublicae Ut assidui hanc Religionis pietatem accendant atque illustrent, omni studio atque opera invitatos rogabat

Gustroviae: Lembkius, [1730]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832185515>

Druck Freier  Zugang





DK-9453 (1)

CUM
SACRO MANDATO
SERENISSIMI & PRÆCELSISSIMI
DUCIS atque PRINCIPIS,
DOMINI



CAROLI

LEOPOLDI,

DUCIS REGNANTIS MECLEN-

burgici, Principis Vetustæ gentis Henetæ, Sverini
& Raceburgi, Comitis item Sverinensis, Terrarum Rostochii
atque Stargardiæ Dynastæ,

Domini & Nutritoris mei clementissimi

FESTUM SECULARE II.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
INVARIATÆ

In Terris Meclenburgicis sollemnissime celebratum esset;

Hunc Religionis cultum

ANNO dō Io. ccxxx. ad d. XXVII. JUNII

In
GYMNASIO MECLENBURGICO

Sollemnioribus Orationibus & Musico concentu

Pie imitaturus

&
CLEMENTISS. PATRIÆ PATRI

Felicem & tot suspiriis repetitis tandem divinitus impetratum reditum
humillime gratulaturus,

PATRES UTRIUSQUE REIPUBLICÆ

*Ut assidui hanc Religionis pietatem accendant atque illustrent, omni studio atque
opera invitatos rogabat*

M. DAVID RICHTER, Gymnas. Gustr. Rector,

GENEALOGIAM LUTHEROR.

Investigare conatus.

GUSTROVIÆ, Typis Johan. Lembkii, SERENIS. PRINC. Typogr. Aulic.

*Ne. Asp. Socp
Loppell*

MUS

AVGVSTANÆ CONFSSIONIS DOCTRINA
SERVABITVR IN ÆTERNVM.



Atrem Lutheri quarto, post exhibitam Augustanam Confessionem die, qui xxix. erat Junii, mortuum fuisse, cum communi fere consensu tradiderunt Historici, haud ingratum fore Tibi, L. B. judicavi, si, quæ erga Lutheri sanguinem serosque nepotes, DEI provida cura fuerit & benignitas, breviter exposuero, ut adeo, quantum Megalandri effato, alma divinaque indulgentia pondus addiderit, clarissime omnibus appareat, tum sæpe tum paulo ante obitum crebro dicentis: Ich will den jungsten Tag nicht erleben / aber meine Kinder sollen Ihn erleben. Parentibus autem Theander usus est pauperibus

HANS LUTHER & MARGARETA LINDEMANNIA. Ille, ex saxo scisili victum quæritans, metalli fodinis operam tandem addixerat omnem, sive, ut Lutheri verbis utar, *pauper fuit fossor montium, mater, omnia ligna ad rem domesticam necessaria, in dorso importavit: ut eo melius filios educarent, duros perpeffi sunt labores.* Cum aliquamdiu in sua patria Möhre vel Mura, supra Salzungam, prope præfecturam Tieffen ortz, in mappis signata, ducatus Isenacensis oppida, sed Meinungenensis ditionis, fixas habuisset sedes, tandem Islebiam, in comitatu Mansfeldensi urbem præcipuam, demigravit, inque sua opera metallica adeo feliciter processit, ut prope urbem Mansfeldam, a quâ toti comitatu nomen adhæsit, binas uftrinas (z. Feuer) calefacere & instruere valuerit. Tandem in Senatorum Islebiensium numerum receptus, morumque probitate conspicuus, placide exspiravit Anno 1530. d. 29. Junii, relictis, fratre, duobus filiis, Martino & Jacobo, & unica filia Dorothea, de quibus singulis seorsim.

FRATER, D. Martini patruus, Heins Luther erat, qui, glebæ patriæ adfixus, remansit in Pago Mora jam nominato. Multam Martino cum hoc suo patruale intercessisse necessitudinem, ex variis argumentis atque Epistolis colligi potest. Divertit quoque apud eundem Wormatia rediens, & postridie Wartburgum abduendus Martinus. Si dialecto Germaniæ superioris nomen efferre placet, malo, Henricum vel Heinrich interpretari, quam Johannem; licet hoc aliis arriserit vel potius imposuerit, nominum priorum contractas variationes non attendentibus. Hujus vero Heins Lutheri familiam & posteros, & hodie quoque Isenaci, Moræ, & Eckartshusæ florere, docebunt Isenacensium rerum Scriptores recentiores. Plura qui avet de Hans & Heins Majoribus addiscere, consulat Seckendorfium, sed caveat sibi, ne una cum Consiliis Witebergensibus, cujusquam autoritate, decipiatur, ovum ante gallinam quærentibus, atque Lutheros fingat, ab Imperatore Sigismundo a. 1473. insignibus gentilitiis nobilitatos. Obscura enim Majorum Lutheri, sed honesta conditio, satis clare hanc fabulam suæ vanitatis convincit. Martinum quoque primum fuisse suorum insignium & inventorem & autorem, pluribus, cum de Eiusdem Pro Nepote tradam, exponetur.

FILIA hujus Hans Lutheri fuit **DOROTHEA**, Martino natu Major soror, quæ Paulo cuidam, aliis Rauffmann dicto, (credo, quia mercaturas fecit) civi apud Mansfeldenses primario, nupsit, parentesque fuerunt 1. Margarethæ, quæ Samueli cuidam Kästnero a. 1574. uxor data, ex quo peperit sex liberos, Parentibus Superstitibus: 2. Georgii & 3. Cyliaci, civium & mercatorum Mansfeldens. De **JACOBO** autem Filio, D. Martini fratre natu minore, nihil equidem, nisi quod civis Mansfeldicus probatæ pietatis & eximie autoritatis fuerit, ibidemque Martino superstes, exequiisque ejusdem comes, diem obiit, mihi succurrit. Nisi tamen me omnia fallunt, b. DANZII, Salani illius Reuchlini, meique Patroni probatissimi, relicta

licta vidua, b. Gabrielis Lutheri, J. U. Licent. & Serenis. Marchionis Brandenb. Linæ Culmbacensis, in Regimine & Judicio aulico Bayruthino Consilarii splendissimi, filia unica, suam ab hoc Jacobo ducet familiam.

Restat itaque Johannis Lutheri *UXOR*, Margaretha Lindemannia, Isenacensis, mater Martini, Theologorum Augustini & Principis, quam alii natu Ziegleriam, eine geborne Zieglerin appellare malunt, sine dubio, quia seculi istius conditio ita ferebat, ut facile ab officio quod quis exercebat, cognomen adhæserit. Quia ergo parentes Margarethæ, lateribus coqvendis studuerunt, puto eandem fuisse Ziegleriam dictam, quemadmodum Lucas Cranachius I. Pater & consul Wittebergensis, senior ille, vulgo Lucas Mahler vocabatur, & Oleariis cognomen à Johannis Olearii I. patre, ejusque officio, qui fuit olearius, ein Oelschläger / adhæsit, pluribusque aliis. Probat atque confirmat hanc sententiam, Vir S. R. Cyprianus, in additam: ad Tenzelianam Reformationis historiam. Melanchthon eandem laudat, quod *præcipue pudicitia, timor DEI & invocatio in illa luxerint, intuebanturque*, pergit, *in eam ceteræ honestæ mulieres ut in exemplar virtutum*. Obiit Margareta A. 1531. d. 30. Jun. Islebiæ, ibique honeste fuit sepulta. Effigiem utriusque Parentis exhibet Junkerus. Horum parentum filius natu medius fuit.

I. D. MARTINUS LUTHERUS.

Islebiæ natus, sed præter matris, quæ partui se haud adeo vicinam credidit, opinionem. Ex pago enim Mõhre Islebiam iter trium dierum ingressa, nundinas ibidem frequentatura, puerum hunc enixa est, qui, cum insequenti die, Martino in fastis dicato, sacro baptismatis fonte esset, in templo Petri & Pauli Apostolorum memoriæ sacrato, abluendus, Martini quoque prænomen inde reportavit. Dies ergo nativitatis fuit decimus Novembris, post horam 10. vespertinam. De anno autem mater interrogata semper dubitavit. *Sed frater ejus Jacobus, verba Melanchthonis reddo, vir honestus & impiger, opinionem familia de atate fratris hanc fuisse dicebat, natum esse à natali Christi 1483.* Uxorem duxit equestris dignitatis, nobilemque virginem Catharinam de BORA, sive Bohren, A. 1525. d. 13. Junii: beneficio Leonh. Coppen, Civis & Senatoris postea Torgaviensis, una cum 8. aliis nobilibus monialibus, quorum nomina Lutherus in Epistola ad G. Spalatinum retulit, ex carcere monastico Nymptschensi, (haud procul Grimma, Moldæ anni vicino, cœnobio, id quod pluribus exposuit Seckendorffius) A. 1523. feria secunda Paschatos liberatam. Ultra biennium, vitam omni morum probitate & castitate conspicuam cum Luthero, satis de victu illius cæterarumque sollicito, probatam vixisset, adeo expers fuit consuetudinis cum Luthero, ut non solum eandem thori Sociam destinaverit D. Glacio, Pastori Orlamundano, sed & Catharina se illudi quereretur, cum Lutherus eam ambiret. Placuit autem Luthero, eandem sibi matrimonio conjugere præter omnium opinionem, insciis & inconsultis amicorum suorum, optimis. Prudenter certe & consulto factum, tum ut nullis svasionibus & susurris, nullum vituperio & commendationi, nullum denique sinistris judiciis locum relinqueret, sed suæ conscientiæ certitudini, rei licitæ atque honestæ tribueret omnia. Erat namque satis superque persuasus, se assertum Clericorum conjugium, à tot Pastoribus, Superioribus annis, bonis & ipso magistratu applaudentibus, initum, suo ipsiusmet exemplo quam luculentissime sic confirmaturum, libertatiqve conscientiarum ita fore consultum. Vota namque, præsertim monastica, de re & illicita & quæ præterea servari nequit, suscepta, clarior jam Evangelii effulgens veritas, vana & irrita docuerat. Incredibile dictu est, quantis convitiis hoc Lutheri institutum proscindere laborarint Pontificii, cum tamen ne pessimi quidem illorum, si frontem habuerunt, negare ausi fuerint, verum validumque à Luthero matrimonium fuisse contractum. Et cur ita indignatione ardent, quod Martinus monialem duxerit? Nonne *Cælestinus III. P. R. constantiam Rege Rogerio natam, Occulte e monasterio Panbormitano eduxit: eamque, licet DEO dicatam, Henrico sexto, Frederici Barbarossæ filio, dispensatione apostolica, in matrimonium collocavit?* Platina in Ejus Vita f. m. 200. Nuptias equidem Lutherus celebravit minus solennes, neutiqvam vero clandestinas, nec multo minus invalidas, quia Bugenhagium, qui Pastor Vitembergensis rite constitutus, sacerdotali benedictione functus est, Pictorem Lucam, Appellum Jctum, in ædibus Phil. Reichenbachii, J. U. L. & Consulibus Witebergensis, qui Catha-

tharinam, hospitio suo exceptam, per id temporis aluerat, habuit testes oculos & locupletissimos, pie, caste & iuste peracta fuisse omnia. Ut vero amicorum, Senatus præsertim oppidani, precibus cederet, placuit Solenniores nuptias celebrare vel potius insequenti die confirmare, weil man damals / nempe d. 13. Jun. vesperi, mehr Gäste zu bewirthen nicht gefast gewesen / ist ein öffentliches Verlöbniß (sed quid in re honesta & iusta opus est tali excusatione aut novis Sponsalibus? Catharinam enim jam duxerat, Ergo nuptiæ fuerunt repetitæ & confirmatæ) des andern tages darauff nempe d. 14. Jun.) als die Mittwochen nach Trinitatis, gehalten worden / auff welches öffentlich Verlöbniß (Hochzeit) Mahl / der Raht dieses Orts 14. Maß allerley Wein / neben gewöhnlicher gratulation offeriren lassen. Hierauff den 27. Junii, Dienstag nach Johannis (hinc mendum in Consiliis Witebergensibus erit corrigendum, quando constantissime menslem Julii expresserunt.) ist die Eheliche Wirtschafft (ubi ergo copulatio?) und Hochzeit gehalten worden / id quod de solenniori nuptiarum apparatu & tertium renovato convivio nuptiali, cui ut Amici interessent, à Luthero invitati fuere, interpretor. Mortuus est Lutherus A. 1546. d. 17. Febr. in ædibus Trachstetianis. Num vero emortalis hic dies Concordiæ sit adscribendus, jam non vacat disquirere. Ex hac sua Catharina Lutherus suscepit tres filios, totidemque filias, de quibus singulis paucissima. Filius Lutheri I. fuit Johannes, natus A. 1526. d. 7. Jun. Duci Joh. Friderico II. fuit a consiliis, sed post expugnatum Grimæ castellum, Albertus, Dux Borussiae suum salutavit consiliarum, Regiomonte, ubi obiit, jacet sepultus. Filiam, quam Elifabetha uxor, D. Crucigeri Filia peperat, uxorem duxit M. Nic. Böhmius, Comitum Mansfeldensium Presbyter aulicus. Hunc anno insequenti mox cepit filia.

II. Elifabetha, præmatura morte abrepta. Epitaphio adscriptus est annus 1528. diesque 3. Augusti. Succedit altera filia.

II. Magdalena, in lucem edita a. 1529, unicæ cum superstite Johanne, quem Hanschen Luther Pater nominavit, paternæ domus, deliciæ. Sed & 1542. d. 20. Sept. nach neune / am Mittwochen des 17. Sonntags nach Trinitatis, ex hac mortali conditione ad cœlestes sedes fuit evocata. Dignum est & Matris somnium, quod ante filiæ obitum somniavit, & Patris, cum hac moribunda Magdalena, colloquium, & Epitaphium a mœsto parente eidem concinnatum, quod pluribus apud Mayerum de Catharina Lutheri Coniuge §. 19. p. m. 44. editionis primæ atque primariæ, legatur. Sequitur.

IV. Martinus, studiis sacris operam navans, Patrique oculis suis charior. Post obitum vero Patris A. 1560. duxit Annam. Joh. Heiligeri, Consulis Witebergensis filiam. Vix quinquennio elapso, improlis decessit a. 1570. d. 3. Mart. Epitaphium refert Mayerus §. 21. p. m. 49. Ex Lutheri liberis Vtus erat Paulus, qui una cum stirpe prolem propagavit. De quo mox peculiari cura agam. *Propero ad filiam natu minimam, eamque VI. Margaretham, illustrioribus servatam nuptiis, Vide Consilia Theologica Witebergensia, Mayerum, Seckendorffium & Junkerum. Repetendus autem erit mihi*

II. PAULUS LUTHERUS. filius.

Auram vitalem haurire cœpit Witebergæ a. 1533. d. 28. Jan. hora noctis prima. Pauli nomen filio imposuit Pater, dona Pauli eidem apprecatus. A teneris annis cum Parens puerum, varietate rerum in hoc mundi theatro positarum, delectari videret, auctor fuit, ut, quia post sacras literas sola fere ars medica divinitus esset patefacta, totum se huic honoratissimo Medicinæ studio traderet. Fautricem vero naturam in ingenio formando expertus, tanta medendi artem felicitate hausit atque absolvit, ut undecimo post Parentis discessum anno 1557. sub Decanatu Willichii, Doctor Medicinæ publice renunciaretur in patria, Witebergæ. Mox a filiis Joh. Friderici I. ut fundatæ ab excelsæ memoriæ Electore, academiæ, peculiarem conciliarent splendorem, Paulum Lutherum vocant Jenensem Professore Medicum. Quod quidem officium ita ornavit, ut apud Jenenses primus fuerit, qui medicam artem in chymicis auxit. Invenit quoque potionem, balsamum, magisterium perlarum, unguentum ex nitro, aurum potabile aliaque plura, pharmacopolis haud incognita. Senilis autem, quæ virilem Pauli ætatem antevertit, gravitas, Patrisque ingenitus candor & erectioris animi indoles, præclara autem maxime scientia artisque fama, haud permiserunt Jenensibus, diu hoc Luthero gaudere. Mox enim a Johanne Friderico II. in aulam vocatus, suæ valetudinis totiusque aulæ curam genere jussus fuit, adeoque fidus

dus lateri sui Principis adhæsit per decenimum, in ipsa etiam Grimmeni obsidione, comes atqve Achates, ut capitis quoqve & perfidæ fortunæ pericula, adire non dubitaverit, deme Er in der Gotischen Belegerung trewlich beygestanden / und Leib und Leben bey Seiner Fürstl. Gnaden gewaget hat. Infelice hoc Principe tandem Viennam misere abducto A. 1567. turbisqve sedatis, & si cum gloria invitantem Jenam repetere potuisset, maluit tamen obsequi Joachimo II. Elect. Brandenb. qvi, cognita hujus Archiatri & fide & medendi felicitate, clementissime eundem arcesivit, ingravescentis ætatis curam eidem commendans. Ita quoqve Deus cœptis Paulinis annuit, ut Electorem lethali morbo decumbentem, feliciter sanitati restituerit. Post fata vero hujus Joachimi, A. 1571. insecuta, Elector atqve Dux Saxonæ, Augustus, Paulum, Dresdensem in aulam vocatum, supremum Archiattrorum, zum Chur-Fürstl. Oberleib-Medicum) fecit, tantaqve apud hunc Augustum Paulus floruit gratia, ut non modo prædio aliquo fuerit ab eodem donatus, sed per 16. quoqve annos eandem conservavit integram. Cum vero A. 1586. Elector, ad meliorem transferretur vitam, filio successori Christiano I. parem fidei sanctitatem probavit, non quidem per triennium (nisi Paulum A. 1589. Lipsiam abiisse dixeris,) per sesqui annum tamen, minimum. Tandem aulæ eum cepit tædium. Quia enim apertus atqve juratus erat Crypto Calvinistarum hostis, aulam vero his scaterè inqve ea dominari videret, Lipsiam secesit 1587. privatam vitæ sortem sectaturus. Finem vivendi Sexagenario attulit Anni 1593. dies 3. Martii, ossaqve ejus Lipsiæ in æde Paulina prope suggestum, die XI. solennioribus exequiis habitis, condita fuere. Verba lapidi sepulchrali insculpta leges apud Junckerum §. 52. p. m. 209. qui & iconem ejusdem exhibet in numismate. Plura me olim notabilia de hoc Paulo Luthero legisse memini in Vogelii annalibus Lipsiensibus in fol. editis hoc seculo. Conferri poterit de pietate Pauli & odio erga Sacramentarios infensissimo, M. Georg Weirich in concione funebri huic Paulo ex Psal. 73. 25. seqv. habita & Lipsiæ a. 1593. edita, ap. Joh. Begerum, quæ tamen in temporum notationibus minus est fida, & ne verbulo quidem familiæ Paulinæ mentionem fecit, neqve dubito, quin eadem quoqve repetita fuerit in Ejusdem concionibus funebribus junctim editis.

Uxorem habuit ANNAM, Viti von Warbec filiam, qui Electoribus, Johanni Constanti & filio Joh. Friderico I. primum à consiliis aulicis, postea hujus vice Cancellarius fuit, natusq; ex nobili Thuciorum gente, juxta Witebergens. prope Schwäbisch Mundt. Alii vero referunt Warbecium ex nobili gente Heubachia, apud Suedos florentissima, fuisse prognatum. Tot vero liberos Paulo peperit Anna, quot suo Martino, genuerat Catharina. Solus autem filius natu tertius, vivacior, reliquisqve, quos Consilia Wittebergensia recensuere, superstes fuit.

III. JOHANNES ERNESTUS LUTHERUS, Nepos.

Qui familiam conservavit & posteritate beatus fuit. Lucem adspexit a. 1560. Gothæ, tandem, sine dubio ex Electoris gratia, Canonicus & Senior Capituli Cizensis factus, Patris sui disciplinam domesticam valde laudavit, liberisqve commendavit. Cum belli tricennalis incendio omnia fumarent, vitæ satur, placide obdormivit A. 1637. d. 30. Novembr. Sacrum connubii fœdus ipsi fuit cum Martha Blumenstengelia, Jeremiæ, Consulis Cizensis, filia, Anno ætatis duodeseptuagesimo 1652. defuncta. Thorum vero uterq; expertus est fœcundissimum, ita ut patrem avumqve liberorum numero superarit. Quatuor etiam filias & totidem filios viderunt, sed mox ad cœlestes sedes revocatos. Nomina illorum, a Witebergensibus servata, sciens omitto, sed ELISABETHAM DOROTHEAM, filiam natu minimam, quam exhibent, recensione dignam judico. Nata fuit Cizæ A. 1624. d. 29. Jun. nupsitqve Anno 1647. d. 19. Febr. Henr. Schrimpfen. Civi & mercatori Numburgensi florentissimo, ex quo per triennium, quod cum eodem explevit, mater fuit facta duarum filiarum, quarum prior mox præmaturo fato fuit erepta, altera autem, Rosina Dorothea, Johanni Eschenbachio, Medicinæ Doctori atqve Practico apud Dresdenses felicissimo, in matrimonium fuit collocata. Cum vero mater, Elisabeth Dorothea, biennem tollerasset viduitatem, secundas cum Johanne Hofmanno, Pro-Consule & Judice Jenensi (Vice-Bürgermeister und Stadt-Richter) celebravit nuptias Numburgi A. 1652. d. 17. Febr. quo cum, in suis fortunis incolumis, per 36. annos vitam, optima matre familias & vinginti duarum tum Nepotum tum Nepticularum Avia, dignam, Jenæ vixit. Felix præterea atqve fœcunda 5. filiorum & duarum filiarum fuit puerpera, ex quibus superstites vitam atqve ætatem tulerunt.

B

I. Joh.

I. Joh. Ernestus Hofmannus, artis Medicæ Doctor in urbe Kahla, arcu Leuchtenburgicæ contigua, Gothanæ ditionis, quæ secundo lapide distat ab urbe Jenensi.

II. Johannes Martinus Hoffmann/ ejusdem artis salutaris Doctor perquam inclytus, Jenæ Claruit & autor fuit conditorque celebris illius myropolii Jenensis, in foro civitatis siti, cujus hodierna posteritas, divina benedictione, rebusque secundis utitur, fruitur. Filiam enim Johannam Christianam duxit uxorem M. Johan. Holfer, Pastor Friefnicensis. Cum Christiana Maria autem connubium iniit Ephraim Gerhardus, J. U. D. & Philosophiæ Magister, multam nominis celebritatem promeritus, nosterque, cum ante hos 13. annos Jenæ versaremur, amicus plane singularis, Studioforum quoque, qui literis & morum probitate delectabantur, communes & summæ deliciae. Invita tandem hunc solertissimum, & Studioforum doctrinæ amplificandæ natum Virum, Jena dimittere debebat, quem, multis acclamationibus votivis profecuta, libenter retinisset. Sed illustris Noricorum reipublicæ Proceres, nostrum Gerhardum, Jena advocatum, suæ Altdorfinæ Academiae singulare decus esse voluerunt, Professionem Institutionum Eidem commendantes. Obiit autem ibidem A. 1718. d. 21. Aug. vitamque pluribus enarrarunt Fasti Universitatis Altdorfinæ, laudatissimo prorsus instituto concinnati & Lexicon Eruditorum. Duas genuerat, Jena abiens, filias, Christianam & Johannam Sophiam, quarum altera jam tum nuptura dicebatur Cranftio (ni fallor) Silesio, J. U. Candidato & æquali familiari, relictas a socero ædes, bibliopolio Crokeriano insignes, olim Hebenstreitianas, in foro Jenensi angulares, inhabitans. De Margareta autem Sophia & Johanne Zacharia, quos ex suo conjugio præterea sustulit idem Johan. Martinus Hoffmannus, eorumque Atnepotum hodierno fortunæ statu, Jenenses plura dabunt. Nobis enim jam multa exciderunt memoria.

III. Joh. Frid. Hoffmannus, J. U. Cand. Jenæ itidem vixit. Debitis interim laudibus unoque omnium ore, Elifabethæ hujus Dorotheæ, D. Martini Neptis, largas, erga egenos, prædicarunt manus, mihiqve ab Viris honestissimis & summa fide dignis relatum fuisse memini, quod disertissimus ille Jenensium Orator atque Superintendens, D. Georgius Gözius, impenso studio eandem coluerit, quod Proavi sui D. Martini divinam vultus dignitatem orisqve suavitatem referre, semper ipsi fuerit visa. Proverbio usa fuisse dicitur, eleemosynas, egestate rerumque summa inopia laborantibus, erogaturâ: Mein Seel. Vater / hat allen / so Almosen gesucht / etwas gegeben / und gesagt: Ich gebe es aus treuen Herzen / nehmen Sie es mit Sünden / so wird Sie GOTT darumb finden. Neminem enim indotatum aut tristem a sua facie dimisit. Naturæ tandem debitum reddidit A. 1690. d. 20. Maij. & Jenæ in templo primario fuit sepulta, cum ætatem fere ad 66. annos produxisset. Sed properandum est, *Ejusque frater, Patris natu tertius filius*

IV. JOHANNES MARTINUS LUTHERUS, Pronepos, pluribus & singulari opera erit commemorandus, cui, quia Cizæ A. 1619. d. 11. Nov. post h. 9. vesp. lucem adspexit, *Martini* quoque prænomen, natalis sui memoriale esse voluit, optimus Pater. Difficili utiqve usus est inito adolescentiæ, quia ætatis anno 18. patrem lugebat, omni sollicitudine in formationem pietatis & eruditionis, hujus filii, incumbentem. Præceptorem itaque, quæ parentum est erga liberos pietas, aluit domesticum, ut vel sic voto suo & filii utilitatibus satisfaceret. Sed mox hoc optimo Patre orbatus Johannes Martinus, pietatem, quam impense Pater ei commendaverat, exercere & placere didicit omnibus. Neque spes in solo DEO posita, hunc orphanum fefellit, quia subito conversa fortuna est. Erasmus enim Bennigsen, Senior Canonicus Magdeburgici Archi Episcopatus, Decanus quoque Numburgensis & Capituli Cizensis Præses, amicitiam, quam cum b. Joh. Ernesto coluerat, memor, cum Dresdam profecturus, iter faceret per civitatem Cizensem, circa finem hujus An. 1637. Johannem nostrum Martinum, ad se vocatum, dignum habuit, quem secum Dresdam adsumeret, Electori, Proceribusque commendandum. Quia igitur tum Bennigsen tum Dries-Kovius, itineris socius, uterque vero Collegii Canonicorum Primatus Magdeburgici Legatus atque Orator, opima secum Spolia ducebant, ad Serenissimum Saxoniam Ducem AUGUSTUM, administrationem totius Archi Episcopatus deferentes, Elector Joh. Georgius I. & Fridericus Metzschius, Princeps amicorum omnium, quem Supremum Status Ministrum salutare solemus, facile quoque commendationi, Patronorum adeo gratorum, pondus addebant, lautissimoque stipendio Lutheri. Pro- nepotem

nepotem exhilararunt. Aucta tum porro est, majoraque vitæ felicitas cœpit incre-
 menta, cum, per pietatis suæ probitatem Summorum Virorum animos in se conver-
 teret, quod præcipue sensit, cum Fridericus von Brand, Ser. Duci Altenbug. *Frideri-
 co Wilhelmo* à Consiliis intimis & Præses tum Judicii Aulici, tum Consistorii, atque
 Caspar Facius, Consiliarius aulicus, sui quoque cura tangerentur, in aula Altenbur-
 gica, optimi sui Principis gratiam annuamque donationem eidem conciliantes.
 Tot præclaris itaque dotibus ornatus, Witebergam, Avi patriam, & Proavi sui
 sedem, lætus adire potuit, Cratippos, hujus felicissimi Musarum & elegantiorum
 quarumcunque literarum domicilii & lætissimi emporii, sedulo auditorus. Victu
 autem & hospitio utebatur B. Wilhelmi Lyseri, ex commendatione & provida cu-
 ra D. Frid. Tunzelii, Proto-Synedrii Dresdensis adfessoris spectatissimi, & primari-
 us à consiliis Appellationum (*Ober appellations Raht.*) Prudentissime quoque stu-
 diorum suorum rationi consultum fuit, quia integrum biennium, solis Philosophiæ
 præceptis penitus imbibendis, destinaverat, prælectiones Buchneri, Meisneri, Sper-
 lingii, aliorumque avidis hauriens auribus. Respondens quoque sub præsidio M.
 Joh. Christoph. Seldii, disputationem, de Incrementis & decrementis Imperiorum,
 haud sine laude defendit. His instructus atque ornatus Propædevmatibus, Juris
 studio excolendo animum adjecit impigre, & quinquennali industria, Juris Civilis,
 Feudalis atque Canonici placita, sibi perquam reddidit familiaria, perque Collegia,
 quæ Studiosi vocare avent, Practica & disputatoria, singula firmavit atque ampli-
 ficavit, facem præferentibus Strauchio, Treutlero, Schreitero, aliisque. Non
 poterat autem hæc erudita, Johannis Martini, pietas, diu latere, nec obscuris an-
 gustiis contineri, sed Patronorum mox augebat favorem, Seren. Elect. Joh. Georgii
 I. Animum, Luthero jam olim impense faventem, accendentium. Autores er-
 go Electori fuere, ut Episcopatus *Wurzenensis* Regimini clementissime imperaret
 Anno 1648. d. 7. Octobr. Lutherum eligerent successorem b. Alexandro von
 Schicken, *Decano*, dum viveret, & Consiliario Electorali, in Regimine hujus Epi-
 scopatus. Mox tanti Principis voluntati est obsecundatum. Joh. Martinum enim,
 gnauiter adhuc in literas Witebergæ incumbentem, inopinato avocarunt, qui locum,
 introducete Episcopatus hujus Cancellario, Daniele von Döring, ex morte Schi-
 ckiana vacuum, occupavit, & per 20. annos multa cum fide, probitate atque inno-
 centia ita exornavit, ut semper majoribus Lutherique nomine dignis, par habe-
 retur, dignitatibus, præsertim cum jam fortuna simpliciter indulgere videretur The-
 lingen & Frohdorff, S. R. J. a portæ seu cubiculi custodia (*Erb-Kammer-thürhüter*)
 & Seren. Elect. à Consiliis intimis & Camera præfectus, studia sua erga pium
 doctumque nostrum Lutherum professurus & illustri documento confirmaturus, suam
 illi A. 1657. d. 1. Junii redituum partem, (præbendam vocant) quam ex Episcopa-
 tu Misenensi quotannis acceperat, cesit, ratamque & Tanto Herœe dignam habuit
 donationem, S. R. Capitulum, Anno 1657. d. 28. Jul. recepto, in suorum nume-
 rum, Luthero. Nondum vero alma DEI providentia sic satis Lutheri sangvi-
 cumfluere iussit. Anno 1660. enim die 22. Maji, cum communibus, totius
 Capituli *Cizensis*, suffragiis, Senior eligeretur: mox, insequenti anno d. 31. Octobr.
Decanus factus, successit b. Jo. Ern. Anckelmann, Heredi in Modelstein. Porro A.
 1663. *Pralati Misenensis* dignitas eidem confertur, quo facto, in conventu hujus ca-
 pituli generali, Senior collegii Canonicorum hujus quoque *Misenensis* Episcopatus sa-
 lutatur. Denique Elector eundem A. 1666. d. 1. Jul. *Cancellarium* suum in Regimi-
 ne hujus *Cizensis* Episcopatus esse voluit, quem vero honoris gradum, imminutum
 jam suæ valetudinis vigorem sentiens, modeste recusavit, quemadmodum hæc omni-
 a latius prosequitur b. Christian Dan. Schreiter, Superint. & Consistorialis Episco-
 patus Misenensis, Pastor item Wurzenis, in vitæ curriculo, quod concioni funebri
 sub tit. *Lutherische Hauß und Kirchen Postil* ex Sapient. V. 16 & 17. Witenb. a 1671. e-
 ditæ, plagg. 19. atque b. J. M. Luthero habitæ, subjunxit. Quam enim D. Matthias
 Zimmermannus, Superint. & Pastor Cathedralis Misenensis in exequiis Joh. Martini
 Lutheri habuit concionem, Witebergæ eodem anno editam, plagg. 8. sub tit. *Luthe-
 rischer Christen Geistlicher Wapenring* / nullam plane biographiam habet adjunctam.

C

A neu-

A neutro tamen horum Duumvirorum, prædii equestris Hohburg / in vicinia urbis Wurzen siti, quo ab Electore Joh. Georgio I. donatum fuisse gravissimus autor est Seckendorffius, mentionem injectam fuisse, utiqve miror, præsertim, si ob annulum, quem, D. Martinus Lutherus, ex larga & benefica, Joh. Friderici, Electoris, manu, acceptum, gestare solebat, ab hoc Pronepote autem Joh. Georgio I. muneri rursus gratissimo oblatum, id contigisset. Zimmermannus enim utiqve illius mentionem perquam opportune facere potuisset. Utrumque vero illorum non ignorasse Joh. Martinum heredem in Hohburg fuisse, ex pleno hoc, quem conciones præferunt, titulo: des Hochwürdigem / Wohl-Edlen / Besten und Hochgelahrten Herrn / Johann Martin Luthers / uff Hohburg &c. Ihro Chur-Fürstl. Durchl. zu Sachsen bey der löblichen Stifts-Regierung zu Wurzen Hochverordneten Raths / des hohen Freyen Stifts Meissen Senioris, Decani zu Zeitz und Canonci zu Wurzen / facile probabitur. Neque mihi improbable videtur, Joh. Martinum prædio aliquo dignum fuisse habitum, ob immortalia & quæ omnem referendam gratiam longissime superant, Proavi sui, in Principes, Ecclesiam & Cives, merita, maxime cum inter omnes constat, quantis in deliciis hic Lutheri annulus Electori semper, etiam cum lethaliter decumberet, fuerit, id quod acceptissimi cujusdam Historici verbis exprimere malui, ita rem efferentis: In der Kranckheit legte Er alle Ringe von sich / ausgenommen D. Luthers Siegel-Ring / und bezeugte also auch im tode noch seinen Euffer vor die Lutherische Religion. Mortuo autem Electori hunc Lutheri annulum fuisse detractum, eumque in Cimeliotheca Dresdensi repositum & hodie quoque asservari, Junckerus & Saxoniarum Dresdensiumque rerum scriptores, pluribus testantur. Placet vero & originem & imaginem hujus annuli altius repetere, quia non solum variis obviam sic ibimus aliorum erroribus, sed & donationem Hohburgensem forsitan illustrabunt. Originem debet annulus Lutheri signatorius Principi, post Electori, Johanni Friderico I. mirifice qui Lutheri insignibus delectari solebat, quod non solum ex variis numismatibus sed ipsis etiam Augustanis comitiis docebimur. Cum enim in illis Princeps verfaretur, Lutheri rosam exsculptam annulo includi curavit, Luthero a se offerendam. Justus fuit Jonas, qui, Cælestino teste, Lutherum hujus gratiæ fecit certior, A. 1530. ita ad Lutherum scribens: Mein gnädiger junger Herr (Joh. Fridericum intelligit) lästet eure Rose in einen hübschen Stein schneiden / und in Gold fassen / wird ein sehr schon Pettschier. Das wird S. S. Euch Selbst überantworten. Quam insolito quoque Theander gaudio fuerit perfusus, cum ab Serenis. hoc Principe annulum hunc sigillarem accepisset, ex hac ad Melanchthonem Epistola pervidebis: Donavit me Princeps annulo aureo; Sed ut viderem, me non natum auro gestando, statim a pollice lapsus in terram (est enim laxior paulo & amplior digitis meis) dixi: Tu vermis es & non homo. Fabro (& hunc quoque pauper Lutherus ditavit Viennensi Episcopatu) & Eccio debebat donari, tibi plumbum seu restis potius conveniebat aut funis in gutture. Scilicet, quanto quisque suo judicio miserior est & vilior, tanto DEO carior est, ab illoque majoribus gratis exornatur, teste Arndtio de Vero Christianismo Lib. I. cap. 19. §. ult. Imaginis autem, quam annulus exprimebat, hæc est historia. Lutherus Summam suæ, quam docebat, Theologiæ ingenioso aliquo Symbolo expressurus, Rosam sibi elegit albam, in area cærulea, quam aureus cingeret annulus, In rosæ autem medio cor rubens extare voluit, cui nigra crux esset impressa. Hæc autem insignia Lutheri, cum multorum ingenia & industriam exercuerint, mentem Lutheri incertis conjecturis, investigantium, alienis præterea coloribus sæpe referentium (vide Junckerum §. 49. p. 148.) placet, rem omnem ad justissimum & unicum hujus causæ arbitrum, ipsummet nempe Lutherum, deferre, qui in Epistola, ad Lazarum Spenglerum, Syndicum Norimbergensem, hanc eorundem significationem, primumque ortum esse voluit: Wenn ihr begehrt zu wissen / ob mein Pettschafft recht troffen sey / wil ich euch meine erste Gedancken anzeigen / zu guter Gesellschaft / die ich auff mein Pettschafft wolte fassen lassen / als in mein Merckzeichen meiner Theologiæ. Das erste soll ein Creuß seyn / schwarz im Herzen / das seine natürliche (rothe) Farbe hätte. Damit ich mir selbst Erinnerung gebe / daß der Glaube an dem gekreuzigten uns selig machet; dann so man von Herzen glaubet / wird man gerecht. Obs nun wohl ein schwarz Creuß ist / mortificiret / und sol auch weh thun / noch lesset es das Herz in seiner Farbe / verderbet

derbet die Natur nicht/ d. i. es tödtet nicht. *Justus enim fide vivet, sed fide crucifixi.* Solch Hertz aber soll mitten in einer Rose stehen/ anzuzelgen/ daß der Glaube/ Freude/ trost und Friede gibt/ und kurz in einer weissen frölichen Rose sehet/ nicht wie die Welt Fried und Freude giebet/ darumb sol die Rose weiß und nicht roht seyn: dann weiße Farbe ist der Geister und aller Engel Farbe. Solche Rose steht im Himmel blauen Felde/ daß solche Freude im Geist und Glauben ein Anfang ist der himmlischen Freude zukünfftig/ ist wohl schon drinnen begriffen und durch Hoffnung gefasset/ aber noch nicht offenbahr. Und in solchen Feld ein gülden Ring/ daß solche Seeligkeit im Himmel ewig wehret/ und kein Ende hat/ und auch köstlich über alle Freude und Güter ist/ wie das Gold das höchste/ edelste und köstlichste Erz ist. Christus unser lieber Herr sey mit eurem Geist bis in jenem Leben/ Amen. Ex eremo Garbock VIII. Jul. A. 1530.

Sed ad Johannem nostrum Martinum Lutherum redeamus ejusque rem domesticam. Maritus fuit Reginae, Wilhelmi Lyseri, S. S. Theol. Doct. & Prof. Wittenbergens. celeberrimi, sui ante octennium Hospitis honoratissimi, filiae, quam ex prioribus nuptiis Pater sustulerat ex Doct. Gabr. Tunzelii, Electori a Consiliis secretioribus, &c: (forsan Tunzelii illius, cujus supra mentionem fecimus, aut fratris aut patru) filia. His parentibus ortam Reginam duxit A. 1650. d. 24. Septembr. Sponsalibus jam d. 14. Julii solenniter celebratis. Peperit duos filios *JOHANNEM WILHELMUM* Juris studiosum, in academia Vitemb. convictu & hospitii Calovii, seines Betters utentem. Domum rediit, paternis interfuturus exequiis. Filius, alter Martinus Fridericus, nascitur A. 1653. d. 1. Octobr. sed quinquennis obiit a. 1658. d. 23. Aprilis, cum mater Regina Lutheria, natu Lyseria, partu edito, extincta fuisset die 8. Octobr. A. 1653. Viduus itaque vixit maestus Pater fere per biennium, donec autore. *Benedicto Carpzovio*, Celeberr. illo Jcto Saxonico, qui & proxeneta se exhibuit, secundas nuptias celebraret cum Margareta Sophia, Joh. Hülsemanni, accuratissimi illius Theologi, filia A. 1655. d. 19. Jun. qua cum sacrum hoc connubiale foedus per tria fere lustra, multa cum voluptate, coluit, genitosque liberos, sibi superstites vidit, praeter (1) Joh. Wilhelmum ex priori thoro, 2. *JOHANNEM FRIDERICUM* 3. *JOHANNEM MARTINUM* & 4. *REGINAM SOPHIAM*, 1659. d. 1. Octobr. Wurzenae natam. Haec decennis circiter fuit cum paternum funus efferretur. Cura autem atque consiliis vere paternis Lipsiae fuit educata in familia sui Tutoris Johannis Bohnii, Medicinae Doctoris & Professoris, longe celeberrimi, cujus honesta juventutis formatio, morumque tradita probitas, ita bonis probata fuit omnibus, ut mox A. 1677. d. 22. Jun. Johannes Rudolphus, mercator Lipsiensis praedives & facile primarius, nuptias cum eadem celebravit. Sed post triennium fere, 1679. d. 5. August. cum paulo ante magno fulminis fragore Nicolaitana aedes tacta fuisset, nimio terrore correpta, immaturum partum enixa, obiit, relicta filia *CATHARINA SOPHIA*, D. Martini *ATNEPTE*, nuptui data A. 1693. Johanni Augusto Schuberto, florentissimae apud Lipsienses Schubertorum familiae, mercatori perquam insigni. Pluribus consulatur Joh. Bened. Carpzovius, tum in concione, quam in exequiis hujus Reginae Sophiae ex Matth. 6. 10. & Luc. XI. 2. A. 1679. d. 7. Aug. habitam ibidem Johann George typis expresit, una cum parentatione & carminibus, & postea Tomo. 2. (si Bibliotheca Homiletica Praetoriana standum est) dictorum funebrium ipsemet Carpzovius inseruit, tum in illa concione & subnexo vitae curriculo, quae marito Johanni Rudolpho habita, & Tomo. 6. d. 6. derer *Trost und Leichen Spruch* illata legitur. Superfunt Johannes Wilhelmus, ex matre Lyseria, Johannes Fridericus & Johannes Martinus ex conjugio Hülsemanniano, omnes Johannis nostri Martini, qui fato concessit A. 1669. d. 13. Julii, Wurzenae, filii, & D. Martini *ABNEPOTES*, quorum posteros atque nepotes, avita, Wurzenae & Cizae, beari divina benedictione, filiasque praesertim, eximia pulchritudinis forma esse praeditas, Jenae a multis Viris, quorum autoritas semper valuit & memoria floret, relatum audi vi. Qvalis ergo Johannes ille Christophorus Lutherus sit, Junckero memoratus, ipse & germanicus, Seckendorffiani Operis, interpres, viderint. Cizensibus autem & Wurzensibus, hanc in medio positam palmam arripere licet, ut horum ab- & atnepotum memoriam commemorent, masculamque Lutheri progeniem atque genealogiam

giam feliciori opera, majorique apparatu, perficiant. Mihi, licet quamplurimis aliis displicuero, satisfeci, quod hoc laboris genus superaverim, quantum quidem muneris conditio & negotiorum varietas permiserunt. Firmavit autem calamum, meamque pietatis humilitatem solatus est, *Serenissimi Principis, CAROLI LEOPOLDI, Ducis Regnantis Meclenburgici, Principis Vandaliae, Sverini & Raceburgi, Comitis item Sverinensis, Terrarum Rostochii atque Stargardiae Dynastæ*, felix faustusque, in Patriam suam, reditus, lares Meclenburgicos, tot injuriis obnoxios, clementissime exhilaraturus. Hoc ipsum Ducale Gymnasium, hasque sedes, mihi quasi responsuras interrogare liceat, viderintne diem, Solenniori gaudio mihi lætorem & Festo Jubileo digniorem? *Augustæ* ergo nostræ *Confessionis* divinitas fuit, quæ sacrum Principis pectus expugnare tandem valuit, Salutemque Patriæ reddidit incolumen. *Augusta*, maximoque Principem digna pietas! *augustam* nostræ doctrinæ veritatem promovere, tueri, illustrare. Et quis exprimere sustinet communia, gestientis Patriæ, vota, quibus curias, templa, tecta que omnia resonarunt, ut nihil tantis clamoribus satis clausum fuerit. Facile itaque erit conjectare, quod & nostro gaudio, cogendi quædam vis adfuerit, cum communis lætitiæ, ob divinitus conservatam *Augustanam Confessionem* invariata, & indefessis gratissimisque cælo precibus impetratum & redditum **CAROLUM LEOPOLDUM**, interpretes excitaverim, cras V. D. post meridiem hora circiter II.

Adolescentes optimæ indolis multæque spei

I. **JOH. JULIUM SCHULZ**/ Breden-Felda Meclenb.

de *Integrarum Ecclesiarum Symbolis Ante-Nicanis*, Or. Lat. contra G. Arnoldi *Abbildung der ersten Christen* Lib. 8. Cap. 20. dictarum.

II. **JOACH. GEORG. DARFES**, Gvstrovienf.

Carmine Germ. expositurum *Historiam Augustanæ Confessionis*.

III. **JOACH. HARTMANNUM**, Malchovienf.

Carmine Latino probaturum, Quod Augustissimum fidei nostræ Symbolum, non minus ac tria illa Oecumenica, ex suo nomine lætissima nactum sit omina, id est, *Augustanam confessionem vere esse Augustam*.

IV. **CHRISTIANUM HENR. PLATONEM**, Parchim.


Orat. Germ. verba facturum de *Augustana Confessione negram. b. e. von der verfälſchten (vulgo, veränderten) Augſpurgischen Confession*.

ut appareat, Num Reformati, si frontem habere volunt, invariatae Aug. Conf. memoriam secularem nobiscum celebrare possint festam? Dabitis itaque, Vos utriusque Reipubl. Antistites & Patres, hanc Augusto nostro Symbolo & Serenissimo DUCI Reduci pietatem, meisque precibus hanc gratiam, ut, qui Vester est, erga Literas Scholasque, quas femora *Ecclesia* Lutherus nominare solebat, favor, cum gratia atque favore assidui confluat, Oratorum dicendi, Bonisque placendi, studium augeatis & accendatis, ceterisque condiscipulis calcar addatis, in studiorum ratione impigre prosequenda. Tibi vero, O pervigil, humani generis custos, placeant Gymnasii Ducalis preces, ob servatum fidei Symbolum, redditumque Principem, fundendæ. Orna porro Eundem, Tua gratia, Eique dic bene, quod Tuum populum jubulare docuerit. Largire omnia, quæ stabilem, firmamque conciliare possunt, felicitatem, & tristitia quævis ab Sacra hac, Tui Principis, persona, repelle, diuque lætus intersit suo populo. Denique haud benefacere desinas Consiliariis atque Ministris, ut in Choro, Foro, Thoro, cuncta succedant felicissime, Tibique

jubila celebrent sine

F I N E.





De Riddagshausano coenobio autem hæc traduntur. Dies
 Kloster hat einen Abbet gehabt und eine feine Schule, darinnen
 12 Knaben mit aller Nothdurft unterhalten, und in Logicis stu-
 diis durch einen Magistrum, welchen der Abt besoldet, institui-
 ret werden. Solcher Kloster-Schulen seyn 6. im Lande
 schweig, in unterschiedliche Classes abgetheilet, durch w
 Stipendiaten ordentl. geführet werden, bis man sie ent
 der Universitæt nach Helmstädt mit Nuß verschick
 Cum deinde turbulentum *Brunsvicum*, mox vero Gv
 tum adiiisset, in secessu vicino *Zessen* ab Avia sua te
 receptus & per 9 dies retentus fuit. Amoenitates aut
 fementes, dictaqve Monasteria latius enarrabunt Auto
 Baringium reperiundi.

§. 7.

Hessemo die 4 Martii discedebatur, reliquaque
 stadio, Schanderslebiaque, *Halam*, intravit, ubi d.
 præter alia, salinas quoque vidit, de quibus ita: D. M
 Bericht nach, sollen die Salz-Roten jährlich 2 Tonnen
 tragen. Doch wird eine wieder auf die Unkosten g
 Von der andern muß man dem Hrn. Bischof ein gena
 richten, welcher das Feudum 123 Häusern verleihet.
 vero de his Salinis Scriptorum nubem collegit Clar.
 SIGIUS, plenior sine dubio dabunt notitiam in *Bt*
xon. Super. p. 941. In templo Cathedrali Halensi
 runt Epitaphium D. Mosmanni, ex unica sua uxore
 liberorum Parentis facti, cujus πολυγενίας alia plurac
 peditabant exempla, *STISSERUS ad Sirac.* 16. p. 17
CARTUS Observat. Hist. Polit. Decad. II. p. 286 - 2
Jac. THOMASII, Oratt. p. 121. *LANSII Consult.* p. n
 omittam *STEPNERUM in Inscript. Lipsiensibus: A*

